



The Holy See

BENEDICTVS XVI

***EPISTULA DATA
IOSEPHO S.R.E. CARDINALI TOMKO,
CONGREGATIONIS PRO GENTIUM
EVANGELIZATIONE PRAEFECTO EMERITO,
NOMINATO MISSO EXTRAORDINARIO AD SOLLEMNEM
CELEBRATIONEM III CENTENARII DEDICATIONIS
ECCLESIAE CATHEDRALIS MINSCENSIS***

Venerabili Fratri Nostro

IOSEPHO S.R.E. Cardinali TOMKO

Congregationis pro Gentium Evangelizatione Praefecto emerito

Minscensis-Mohiloviensis communitas ecclesialis grato omnino animo trecentos celebrat annos a consecratione cathedralis sui templi, Nomini Sanctissimae Mariae dicati. Dilecti istius gregis pastores et fideles, memoriam huius eventus recolentes, evangelici itineris praecipua elementa assidue perscrutantur, Domini vocem diligenter auscultant, sociali in provincia accurate eius providentiam demonstrant. Multa revera sunt pastoralia incepta, spiritalis potissimum exercitationes, quae haec Ecclesia particularis suis proponit fidelibus omnibusque hominibus bonae voluntatis, ut omnes clare videre possint quomodo religio christiana historiam istius regionis sit comitata.

Die IX proximi mensis Octobris, fausta iubilaei data occasione, sollemnis agetur in cathedrali aede celebratio, signum erga Deum omnipotentem pastorum et fidelium gratitudinis ob tanta Eius beneficia quae saeculorum decursu toti ecclesiali communitati largiri est dignatus.

Nuper igitur Venerabilis Frater Thaddaeus Kondrusiewicz, Archiepiscopus Metropolita Minscensis-Mohiloviensis, actuose gregem sibi concreditum per semitas Evangelii ducens, humanissime a Nobis quaesivit ut aliquem eminentem virum ad memoratam celebrationem mitteremus, qui

Nostras vices Minsci posset gerere Nostramque erga christianos ibi adstantes dilectionem manifestare. Ad Te ergo, Venerabilis Frater Noster, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione olim praefuisti quique fidelium Bielorussiae funditus laetitia novisti et difficultates, mentem Nostram vertimus Teque hisce Litteris Missum Extraordinarium Nostrum nominamus ad sollemnem celebrationem III centenarii dedicationis ecclesiae cathedralis Minscensis, quae die IX proximi mensis Octobris agetur.

Praeclaro illo in templo sollemni praesidebis Eucharistiae atque, Sacrarum Scripturarum verba recolens: "Adducam eos in montem sanctum meum et laetificabo eos in domo orationis meae" (*Is* 56,7), omnes adstantes sermone tuo ad diligentiorum usque Christi vitae imitationem cohortaberis: decet enim ut novis viribus novaque diligentia peculiarem dilectionem Christi Ecclesiae et Evangelii demonstrent atque fidei virtute cotidie ardeant.

Rogamus Te etiam ut nomine Nostro omnibus ibi congregatis salutationem afferas, Archiepiscopo praesertim Metropolitanae Minscensi-Mohiloviensi ceterisque sacris Pastoribus, presbyteris, religiosis viris ac mulieribus, christifidelibus laicis. Exoptamus denique ut verba Nostrae benevolentiae etiam ad civiles auctoritates extendas et ad omnes qui Ecclesiae missionem, libertatis religiosae notionem atque sincerum personae humanae bonum studiose considerant.

Nos autem Te, Venerabilis Frater Noster, in tua missione implenda precibus comitabimur. Denique Benedictionem Nostram Apostolicam libentes Tibi impertimur, signum Nostrae erga Te benevolentiae et caelestium donorum pignus, quam omnibus celebrationis participibus rite transmittes.

Ex Aedibus Vaticanis, die VIII mensis Iunii, anno MMX, Pontificatus Nostri sexto.

BENEDICTUS PP. XVI

© Copyright 2010 - Libreria Editrice Vaticana